



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VI. Sacerdos qui in duello partem digiti amisit, non debet tolerari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.CAP. VI. *Idem eidem in eadem epistola.*

De presbytero autem Campaniæ, qui sponte duellum obtulit, & oblatum suscepit, & in eo partem digiti amisit, sicut olim, ita & nunc prudentiæ tuæ respondemus, quod cum ipse, sicut & nos vidimus, non perdidit tantum ex digito, quin ipse sine scandalo possit solennia celebrare: satis potes cum ipso post peractam pœnitentiam misericorditer agere, & permittere ipsum in suo ordine ministrare, licet eius excessus grauis sit.

CAP. VII. *Idem eidem in eadem epistola.*

Presbyterum autem alium, qui quemdam puerum in-<sup>24. Quæst.</sup>  
tuitu disciplinæ percussit in capite, & vulnerauit, cum post<sup>4. Qui peccat.</sup>  
paucos dies exspirasset, sicut asseris, ab omni altaris ministerio debes perpetuo remouere, eumque ab officio sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interierit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur exspirasse.

CAP. VIII. *Idem.*

Quamuis sit graue nimis, & diuina dignum animaduersione habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est, de ecclesiasticis rebus vsurpent; maiorem tamen metuent formidinem ac dolorem, qui fomitem sui erroris in ipso clero dicuntur aliquoties inuenire, dum quosdam fratrum & coepiscoporum nostrorum, aliorumque prælatorum ecclesiæ decimas eis & ecclesiarum dispositiones indulgent, & in deuia mortis eos impellunt, qui prædicatione eorum ad viam vitæ fuerant reuocandi, de quibus dixit Dominus per prophetam: *Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem prouocant animas eorum.* Vnde statuimus, vt si quis alicui laico in sæculo remanenti, ecclesiam vel decimas concesserit, a statu suo tamquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, ruinæ suæ iaceat dolore prostratus.<sup>Luc. 13.</sup>

CAP. IX. *Idem G. Liuonensi episcopo.*

Veniens ad nos P. lator præsentium, nobis exposuit, quod antiqui hostis suggerente versutia, furtiue diaconatus ordinem suscepit. Vnde tibi duximus responden-